

05

A

2494





Kgl. 846

Disputationum Logica-
rum secunda
DE
VNIVERSA
LIBVS.

In inchyta VVitebergensi Academia

P R Æ S I D E

M. IACOBO MARTI
NIO SAX. LOGICES PRO-
fessor. publ.

R E S P O N D E N T E

MATTHIA FREY
AVGVSTANO.

*Habebitur ad diem 10. Iulij horis à primâ
Pomeridianis.*



VVITEBERGÆ

Excudebatur à Iohanne Schmidt, Anno 1605.



Reverendis & Clarissimis viris †

Dn. G E O R G I O M Y L I O Superatt.

&

Dn. L E O N H A R T O H V T T E R O
S. S. Theologiæ Doctoribus.

NEC NON

Nobilissimis: Pietate, doctrinâ, Prudentiâ & re-
rum usu spectatissimis viris:

Dn. I O H A N N I L A V G I N G E R O,
Reipublicæ Augustanæ Senatori:

Dn. L E O N H A R T O S T A M L E R O, Iudici:

Dn. I O H A N N I B A P T I S T Æ H E I N Z E L I O.

Dn. M A R C O T H E N N O.

Dominis suis fautoribus, promotoribus, Meccœna-
tibus atque Patronis, reverenter & submissè colendis,

*Exercitium hoc Logicum honoris & obser-
vantia ergo.*

Consecrat

Offert ac

Dedicat

M A T T H I A S F R E I Augu-
stanus Vindelicus.

DISPUTATIONVM LOGICARVM

SECUNDA.

De Universalibus.

Continuatio.



Ua generalem Logices naturam notam facere potuerunt in precedente disputatione, quâ fieri potuit breuitate summâ explicata sunt: consequens nunc est, ut totum corpus Logicum, in suas distinctas partes resolutum, aggrediamur.

I.

Diximus ibi finem internum Logices esse syllogisticum discursum, qui cum ex propositionibus & predicationibus oriatur, nō cōsiderat Logicus subiectum suum (quod summis decem generibus ab Aristotele comprehensum est) principaliter quatenus tale est; sed quatenus predicabile, id est, ad predicationem constituendam aptum est & conueniens, ut naturam seu conditionem predicati in propositione assumere possit. Vnde predicamentis ab Aristotele propositis predicabilia pramittit Porphyrius, quæ sunt rationales realium in predicamentis conceptuum distinctiones, & ostendunt, quanam & quomodo alijs attribuuntur.

II.

Inscribitur liber iste predicabilium ποσφυσίς εἰσαγωγῆς. Qua inscriptione monemur, audiendos illos non esse, qui doctrinam hanc Porphyrianam predicamentis postponendam esse docent. Cum enim doctrina hæc introductio sit ad Logicam, & maximè ad predicamenta intelligendum faciat, utiq; rectè pramittitur: Porphyrius enim hic velut edituus videtur esse, sine cuius ministerio in hæc Aristotelis adyta non receperis.

III.

Deinde ex eadem etiam inscriptione intelligimus, Isagogen hanc Organæ Aristotelici partem non esse. Introductio enim in artem aliquam, non est pars istius artis, in quam introducit, & Porphyrius non autoris fungitur munere, sed interpretis, explicans quinq; illa vocabula, quorum usus frequens in Organo reperitur.

IIII.

Vltimum, quod ex inscriptione intelligitur, est, doctrinam hanc magis

A 2

utilem

utilem esse, quàm necessariam. *Utilis est*: 1. ad doctrinam Categoriarum rectè intelligendam, 2. ad definitiones constituendas. 3. ad divisionem. 4. ad demonstrationem. Videatur Porphyrius in Proœm.

V.

Sunt itaq³ *Prædicabilia classes*, quibus ceu gradibus, simplicibus, res seu rerum notiones primæ simplices, in prædicamentis collocatæ, distinguuntur, & præstèditur, quæ quomodo de alijs prædicari possint, lib. περι' ἐξημην. c. 7. In *Isagog.* Porph. vocatur πέντε φωναί, κατηγορούμενα, κατηγορήματα, λόγοι καθόλου.

VI.

Numerantur quinq³: Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens. Porph. c. 1. Zab. in tab. Log. p. 103. Melanch. lib. 1. *Dialect.* Quem numerum neq³ redundantem, neq³ deficientem esse, ut quibusdam videtur, sequentibus manifestum redditur rationibus.

VII.

Quot sunt modi prædicandi, tot sunt prædicabilia: Atqui quinq³ tantùm sunt modi: Ergo & c. Maior est manifesta. Minor probatur. Nam quæ prædicantur de aliquo, vel prædicantur in quid tantùm, vel in quale tantùm, vel in quale & quid simul: quartus modus non datur. Quæ prædicantur in quid tantùm, sunt Genus & Species. Genus enim de specie prædicatur in quid: & Species de Individuo in quid dicitur: tertium non datur. In quale tantùm prædicatur omne accidens: siquidem accidentia tantùm denominativè dicuntur de subiectis. Accidens autem est duplex: vel reciprocum, quod hic singulari nomine, ob singularem, quam habet in prædicatione naturam, proprium appellamus: vel non reciprocum, quod aliàs commune accidens dicimus: hic verò contra proprium distinguitur, quia in nullo modo per se est, atq³ ad eò tantùm accidentium habet naturam & prædicandi modum. In quale & quid simul differentia dicitur de specie. Differentia enim respectu generis, quod dividit, est qualitas quedam, nempe essentialis: actus autem & forma speciei, quam constituit, & definit. Duplex igitur est modus prædicandi in quid: duplex in quale: & unicus in quale & quid. Ergo constat numerus prædicabilium.

VIII.

Deinde omne prædicatum simplex aut convertitur cum suo subiecto, vel non convertitur. Arist. lib. 1. Top. cap. 8. Si illud, differentia est, vel proprium. Si hoc: vel explicat quid res sit, & tum est genus vel species: vel est extra rei essentiam, & est accidens.

IX.

Genus igitur primum prædicabile est, & dicitur simplex & communis
natura.

natura, quae pluribus & differentibus specie tribuitur in questione natura, quando queritur, quid res sit.

X.

Genus primo loco explicandum est, cum sit quasi fundamentum reliquorum predicabilium, uti demonstrat Scheckius in Prædicabilib. pag. 10. Cumq; ut latissimum, de formis suis dicatur omnibus Arist. lib. 6. Top. c. 6. item ordine natura sit prius, ac tollat non tollatur: imò genere nihil sit prius, quod in quid possit predicari. Porphy. in Isag. c. 8.

XI.

Generis genus est τὸ κατὰ γένος μένον. τῶν κατὰ γένος μένων alia sunt κατὰ εἶδος, & de uno tantum, ut Individua; alia κατὰ πλειόνα, ut reliqua quinq; prædicabilia. Distinguitur ergo genus ab individuis: quod hoc de uno dicantur, genus verò de pluribus. Distinguitur à specie, quod hoc κατὰ πλειόνα καὶ διαφερόντων τῶν ἀριθμῶν; Genus verò τῶν εἰδῶν predicatur. Distinguitur à proprio: quod hoc uni tantum speciei, Genus verò pluribus attribuitur. Distinguitur tandem à differentia & accidente communi: quod utrumq; quidem de multis predicatur; non verò in questione, qua queritur, quid res sit, sed qua queritur, qualis res sit. *Idicatur de multij specierum numero diff.*

XII.

Queritur porro, quid per definitionem illam Porphyrianam definiatur, an materiale, an formale Generis.

XIII.

Respondemus, quod neq; prout intentio secunda est, hoc est, formale; neque prout intentio prima, hoc est, materiale hic definiatur: sed Natura, prout subest intentioni secundæ: secunda verò intentio est ratio, per quam definitio convenit nature. Nam quod hic definitur, predicatur: Natura non secundum se; sed tantum quatenus secundis subest, predicatur: Ergo definitur hic non quatenus est prima intentio per se, sed quatenus secundis subest.

XIV.

Genus dividitur in γενικώτατον generalissimum, & ὑποάλληλον subalternum.

XV.

Generalissimum est, quod semper & tantum genus est, & summum dicitur: quia habet in suo ordine non superius, cuius respectu fieri posset species: ut substantia, quantitas, qualitas, &c.

XVI.

Genus subalternum est, quod modo Genus, modo Species est: Genus quidem inferiorum, Species superiorum: ut corpus, animal, &c.

A. 3.

Tota.

XVII.

Tota generis ratio in singulis speciebus est communis, atq; propterea in illo multa involvuntur diversitates. Species enim sub uno genere sunt distincta, diverse & contraria. Unde causa erroris & confusionis argui potest.

XVIII.

Species est predicabile sive simplex & communis natura, subordinata generi, de qua Genus predicatur in questione, Quid est.

XIX.

Species itidem duplex est εἶδος εἰδικώτατον & εἶδος ὑπόκληρον.

XX.

Species specialissima est, quae tantum species est, & predicatur de pluribus numero differentibus.

XXI.

Numerosi sive ἀριθμῶ differre dicuntur Individua.

XXII.

Unde Individuum dicitur τὸδε τί ἀριθμῶ ἐν, unum quid numero, sive res singularis, quae à genere generalissimo longissime remota est, quaeq; dividi, distrahiq; non potest, ut maneat una res in suo esse.

XXIII.

Ex definitione hac dua resultant individui conditiones. Prior, quod in se non sit divisum: Posterior: quod ab omni alio sit divisum.

XXIV.

Subalterna species est, quae est & species & genus: species superioris generis: Genus inferioris speciei.

XXV.

Differentia generaliter definiri potest, quae aliquid ab aliquo distinguitur.

XXVI.

Differentiae duplices sunt, accidentales & specifica.

XXVII.

Accidentales sunt, quae à propriis & accidentibus petuntur.

XXVIII.

Ab accidente sumpta differentia, κοινῶς differentia dicitur: à proprio δῖῶς: Utraq; unum subiectum facit bifariam considerandum.

XXIX.

Specifica dicitur differentia ἰδιαιτάτα, & rem reddit omnino alienam & diversam: Inde q; nomē accepit, q; specifica dicta est, quippe quae sola utilis ad constituen das iūm definitiones, iūm divisiones. Definitur natura simplex eiusdem speciei

speciei individuis omnibus communis, quae cum genere certam constituit speciem, & de specie predicatur, quando quaeritur, quale quid sit.

XX.

Differentia haec pro distincto respectu consideratur dupliciter: vel est *συστατική*, constitutiva, quae generi addita speciem constituit propterea, quia est essentialis rei pars, & dat rei esse: vel *διαζευκτική* divisiva, quae Genus in species dividit, ut animalium aliud est rationale, aliud irrationale.

XXI.

Proprium, prout quartum predicabile constituit, simplex est & accidentaria natura, sive accidens quoddam, omnibus eiusdem generis Individuis commune: specificam differentiam tanquam effectus causam necessario consequens, ideoque necessario & semper inherens, predicatur de specie in questione, qualis res sit.

XXII.

Alias proprium quadrupliciter sumi solet. Primum τὸ ἀεὶ soli alicui speciei accidit, sed non omni eius Individuo, ut Medicum esse. Alterum πρὸς ἕτερον toti speciei, hoc est, omni speciei Individuo, sed non soli inest, ut esse bipedem. Tertium τὸ ὅτε, soli & toti speciei convenit, sed non semper, ut canescere. Ultimum καθ' αὐτὸ soli speciei, omnibus eius Individuis & semper inest, atque hoc est, de quo hic quaeritur.

XXIII.

Proprietates igitur, quae ad proprium hoc, quod vulgo quarti modi appellantur, referuntur, necessario & immutabiliter subiecto inherere, ut nullo tempore mens, licet illas à subiecto separaret, fingere in illo contrarias possit. Nascuntur enim ex intima rei essentia.

XXIV.

De Accidente tandem postremo loco agitur propterea, quod sit ferè μὴ ὄν. Generatim hic definitur, quod adest & abest sine subiecti corruptione: aut quod potest inesse & non inesse: & predicatur in Quale, non conversim.

XXV.

Dividitur in χωρίσων separabile, & ἀχωρίσων inseparabile. Illud à subiecto manente salvo, revera separari potest; hoc duntaxat cogitatione. Corvus enim niger est, nigrorem si tollere volo, cogitatione mihi fingo corvum album. Albos tamen reperiri etiam affirmat Aristoteles lib. 5. de gen. anim. cap. 6, atque ex hoc Scaliger Exerc. 59. p. 213. Atque hac de universalibus secundum nomen, definitionem, distinctionem & numerum dixisse sufficiat.

QVA

QVÆSTIONES.

I. An universalia, ut Genera & species, quatenus talia, existant extra mentem. Neg.

II. An prædicari sit adventitium, non insitum in natura prædicabilium. Negatur contra Tempellum.

III. An differentia sit planè idem quod forma. Negatur contra eundem Tempel.

IV. An duo hæc, Genus & species, primò duntaxat sint universalia. Affir.

P A R E R G O N .

An syllogismus hic sit sophisticus:

Accidens est, quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione:

Peccatum Originis non potest abesse:

Ergo peccatum originis non est accidens: Et si non est accidens, est substantia.

Resp. Est sophisticus. Confunditur enim accidens prædicabile cum prædicamentali.

P A R A D O X O N .

Vniversale est unum & multa: in multis & extra multa & ubique & nusquam: semper & nunquam.

F I N I S,

05 A 2494

ULB Halle
004 545 230

3




Sb

1014







46

um Logica

2

unda

E

ERSA

V S.

rgensi Academia

I D E

MARTI

GICES PRO-

publ.

D E N T E

A FREY

TANO.

. Iulij horis à primâ

ms.



ERGÆ

Schmidt, Anno 1605.